

III.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 8.

*Secretum litterarum commercium inter vivos
et vita functos.*

Elysium-Meum. Die Matris. 13. Feb. 1810. (Neov. 26. Jan. 1810.)

Hypatia Cuidam Nobili Matronæ in mundo
superiore.

Dignabatur nuper admodum, prout ex ad-
pulsis ad nostras oras Manibus quibusdam
comperi, Biographiam legisse meam; digna-
batur speciem gloriæ pro nostro sexu in ea
deprehendisse; quæ ipsa ratio est, tibi, for-
mosa Matrona! scribendi, atque quasdam
animadversiones de nostro sexu subjiciendi.

Quæ causa est, quod nondum luci edi-
tum quoddam Tentamen de femina? — quod
affluamus operibus historiam formosi sexus
pertractare prætentibus, hoc quidem lip-
pis notum & tonsoribus; verum dimidia eo-
rum pars studio partium laborat, altera nu-
gis scatet, (Pedantismo) — quippe mares —
auctores habent. — Eorum indoles aut pa-
negyris, aut — Satyra. — In summa nihil
præter, quam vulgarium argumentorum com-
plexus sunt.

Opus, quod meum ferret punctum, spiritu
veritatis præditum, auctorque Hermaphrodita
esse deberet — diducis, video, amica! la-

bia; sed dico, assero; Hermaphrodita esse deberet. —

Audi, quid de hoc argumento, suavissima! sentiam. Femina in genere debilioris & subtilioris compagis est viro — sanguis specificæ levior, liquidior, caro delicatior & mollior, nervi minus intensi, musculi neque tam numerosi, neque tam duri, quam viro.

Isthoc temperamentum, quod feminas deteriores viris reddere videtur, natura elegantia & voluptate — fortassis & nobilioris sensu & delicatioris intellectu compensabat. Si robur ex parte viri prærogativem habet, ex altera femineæ sexus præcedentia venustate ad æquilibrium collocatur.

An fieri potest; ut aliquando quæstio moveatur, an femineæ anima insita — & Concilium Mazoniense trimestre impendit disquisitioni: an femineæ humanam naturam habeant?

Fortassis femina non quovis tempore pars subdita fuit; principium:

Ex parte barbæ, Jus est monarchiæ — in schola mulierum art. 3. videtur cum notionem legislationis humanæ primum societati irrepsisse; id saltem constat: feras, sevas, audacesque Romanas leges adversus femineum sexum, quæ ruborem hodie conciliant, originem repetere a tardiore minus glorioso reipublicæ ævo, ipso illo tempore, quo occasu. Romæ occipit; — intelligitur: ipsam illum genium, qui leges Civiles formæ con-

didit, feminei quoque sexus subjectionis auctorem fuisse, nunc — Jus fortioris.

Ut hæc tyrannis cum ratione naturæ & meritorum concordet, equidem disquirere non volo; interim contenditur: sceptrum *mediata ratione* nihilominus ex parte esse femininarum.

Orando mulier, sed vir per jussa regit rem,

Illa facit dum vult, dum, regit iste, potest

Hoc docet experientia, quod si ita est, quæso: quis dominatus plus gloriæ habet: dum svavi Consiliorum persvasionisque vehiculo amore & illecebris dominandi scius sum, quam dum vi, & potentia? —

Inest humanæ menti certa occulta vis, cui ea resistendo impar est, cujusque rationem reddere nemo potest, hic Instinctus prærogativa est muliebris indolis. — Et historia illustra exempla præstantiæ muliebris mentis exhibet.

Artemisia in Bello Græco Persico — Semiramis in Bactris, Penthesilea ad Trojam, Tomiris de Cyro, Amazonum generosa tribus. (si fides scriptoribus) Margaretha Andegav. Blanca Castiliæ sub Ludov. IX. G. R. Elisabetha Tudor Angliæ, Mar. Theresia Austriæ, Catharina Russiæ — ex alia parte Sapho, universa domus Gonzaga, Domina Dux Mazarin, Ninon Londres, sunt circiter celeberrima exemplaria in Annalibus formosi sexus.

Quid ultra? an non fero Marti svavitati Gratiarum succumbendum fuit? an non in

earum familiari societate ferociam mansuetudine, quam ei instillarunt, compensavit? — Viri summi, vincolo conjugali illigati a mulieribus consilia opemque susceperunt. Patri amoenior sua in hoc mundo vita redditur, conjugii vinculo mitescit, felicitatem nexum inter familias magis noscit, quam cælebs conjugii aspernator; qui pignus nullum relinquit, seque ut Insulam in humana societate reputat. Svavia animi sensa in Corona dilectæ Conjugis & dulcium liberorum magis excitantur, faciuntque ut secunda aut adversa aliorum fortuna animum potentius adficiat.

Sed menum de tabula. — Equidem cuiusvis justitiam tenaci Erudito committo ut sexum nostrum secundum dignitatem, veritatem, et experientiam adumbret. — De præsertim juvat aliquas novitates neo pistras per Ephemerides in Elysium nunc allatas intexere, & quidem:

Hamburgo die 17. Jan. Hesterno adpulit Svecicus Colonelli Locumtenens Baro a *Crassow* (& non *Supr. Exoub. Mag. a Payronut* perperam nunciatus) qua Cursor Parisiis eorum memorabili nuncio: pacem Galliam inter & Sveciam die 6. h. m. hora noctis 10. feliciter confectam esse; memoratus Baro eodem adhuc die iter Holmiam prosecutus. Prout fertur vigore conclusæ pacis tota Pomerania Svecica Svecis restituetur. Omnes restantes præstationes Pomeranis remittuntur, nec ullæ novæ locum habent amplius exa-

ditiones; ex die confectæ pacis computando. Factæ ab Imp. in Pomerania donationes confirmantur. Paci cum Regno Sveciæ includuntur & Status omnes foederis Rhenani, Hispania Hollandia & Neapolis. Svecia accedit ad Systema Colonicale, renunciat mercimonio cum Anglia, Sal nihilominus ex omni regione libere invehî potest. Quævis post aditum regiminis Caroli XIII. (die 13. Martii 1809) adpreensæ & sequestratæ naves Sveciæ earumque merces (exceptis Colonialibus) reddendæ sunt, Imperator vadimonium (Gwarantiam) præstat Territorii Svecici secundum hodiernum suum complexum.

Berolino 6. Jan. (ex Rel. M.) Rumor universalis fert: Regem debiti negotium urbis in ordinem redigendum curaturum; quippe plures a Magistratu operose elaboratæ rationes (Plana) probam non sustinuerunt. Spes est a Collegio eum in finem erecto immensa onera, quæ Status medius tulit, æqua ratione ita conferenda esse, ut de Jure ab altioribus Statibus perferri debeant. — Pro ædibus argentariæ ex aliquot diebus continuus tumultus advertitur, cum ex parte Census Obligatorialium solvantur. Animadvertit auctor cum stupore: plurimos potentium ex Colonis, Arendatoribus & Administratoribus prædiorum &c. constare, quo factum est: ut exaggerata alias frugum pretia Oeconomos ad eum statum collocaverit, qui efficere valet: ut ipsi pretia viliora hodiernis sustinere possint; ut hæc ratione Civis, cui persæpe modus

deest proficiendi, Conditionem emendare possit. — Colono & Oeconomo *terrae* supererant quæcunque jactura alia eorum fuerat, & res proxima temeritati: dum prædiorum divitem officialem, qui dapibus calidis, & generosis vinis affidet, stratoque molli incubat, de vili frugum pretio querentem audit, interea nonnullus Civis, ante arctam rem familiarem habens, cum familia fame prope coopertus *friget, & alget.* —

Constat: Speculationem mendicarum mulierum usque eo apud nos extendi, ut infirmas proles conducant, ad excitandam per id commiserationem; Mos hic, adversus quem Politia nostra parum ad usque egit, seqv. eventum produxit: hujas opulentus hospes mittit Ancillam cum prole deambulatum, ipse in animum inducit cum Conjuge deambulare, ambo versus vivarium itum sumunt, in quo mulierum una his fit obvia, quarum nulla apud nos vigilantia. Deambulantes oculos conjiciunt in velis & pliois involutum Infantem, uxorque pallore percussa vociferatur, prolem mulieris sinu eripit, cognoscitque, materno sensu haud decepta, suum partum ab ancilla pro pluribus horis pretio vili locatum, interea impudica in Choreis miserandum lucrum pergrecata est. — Ita nuper admodum factum, ut mulier ad pontem infantem in sinu agitaret, qui nullam vocem edebat, aliqui rei novitate allecti inquirere & indagare in singularem rei eventum, & — comperiunt esse ex fasciis effictum pnsionem cum larva. —

Evanidos, vix amplius spirantes animantes circumtrahi videre, nihil apud nos novi, quod si sensus, quem hæc scena in itinerantibus excitare debet, non rationem habeamus, si ærumnam, quam incolæ perferunt, missam faciamus, humanitatis saltem ratio eorum deducere deberet, ut id genus, alioqui ad infelicem damnati sortem, homines sævis lucripetarum unquibus eripiantur.

Continuatio Orationis Ministri rei aerariæ nuper abruptæ Vid, Nro 6.

„ — — — Materiale rei tormentariæ quot annis auctum; plures 100 millibus solopi novi Armamentariis continentur; demtis & non computatis aliis, quos armorum fortuna ad nostras manus tulit. M. V. porro 40,000 bellicas machinas possidet cum necessario adparatu.

„ Inter quasvis has curas, quæ ad omnes amplissimi orbis Imperii partes se extendunt, M. V. paternum oculum ab Incolis suæ metropolis non avocavit. Nunquam Parisiis erecta Promptuaria melius instructa erant, & in Casu, quo sterilitas vitæ subsidia Incolarum difficiliora redderet, sustentationi amplæ hujus urbis pro pluribus mensibus prospectum est; Gallia præbet exemplum quod inter magnos Status unum est, utpote: proventum plus quam 800 millionum, absque ullo representante signo locum habere, constatque: ubi id existit, incertam fluxamque esse Civium bonorū securitatem.

Die 12. hujus Austriacæ publicæ Chæ-
tæ notabiliter valore increvere, a 510 ad
475, plus tertia procentuali parte.

B I O G R A P H I A.

Hypatia filia Theonis Philosophi & Ma-
thematici nata Alexandriæ sub finem Seculi
tertiti; habebat patrem magistrum tamque
eximios in Philosophia, Geometria, Astrono-
mia aliisque mathematicis disciplinis progres-
sus fecit, ut sui temporis princeps doctorum
censeretur; in ejus discipulis numeratur. *Sy-
nesius* ex Cyrene, qui postea Episcopus crea-
tus, hancque eruditam foeminam matrem, so-
rorem, magistram, in Philosophia, suamque benefa-
tricem adpellavit; — Synesius multas litem-
ras ad eam scripsit; ei Censuram operum suo-
rum detulit, & judicio ejus ea substravit.
Ipsa multa mathematica opera edidit, quæ
vero interiere — in concursu Alexandriæ po-
puli Mense Martio 415 in Basilica urbis oc-
cubuit, quod insimularetur: intercedere eam re-
conciliationi Præfecti Alexandrini Orestis,
cum Episcopo Cyrillo; multi Cyrillum par-
tem in nece hæc habuisse fabulantur, qui de
Hypatia scripserunt tam ob morum purita-
tem, quam præclaras mentis & animi dotes
eam celebrarunt, quod tanto magis mirum,
quia continuo Ethnicismo inhaesit. (*Laduoct*
u voce Hypatia.)